



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Philippi Labbei Bitvrici Societatis Iesv Presbyteri, Nova Bibliotheca Mss. Librorvm, Sive Specimen Antiqvarvm Lectionvm Latinarvm Et Græcarvm**

**Labbé, Philippe**

**Parisiis, 1653**

Articuli super petitionibus Eugenii IV. Papæ pro pace & vnione Ecclesiæ  
pag. 42. & sequenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13263**

Ferrariam xv. kal. Martij mccccxxxvii. anno septimo & tertio  
Kal. Ianuarij, anno octauo, tum

*Articuli super petitionibus D. N. Papæ pro Pace & vnione Ecclesiæ.*

I. Quia Græci Deo fauente venerunt & applicuerunt ad ciuitatem Ferrariæ, locumque ipsum acceptarunt, vbi iam fundatum ac stabilitum est Oecumenicum Concilium celebrandum pro Sancto opere vnionis, secundum dispositionem Basileensis Concilij, prout ex forma decreti super eadem fundatione solemniter editi euidenter apparet, vbi S. D. Papa paratus est cum Collegio RR. DD. Cardinalium, & cum multitudine Prælatorum, Doctorum ac Magistrorum; velit Maiestas Regia pro fauore eiusdem sancti operis mittere solemnem ambaxiatam pro statu Fidei & honore Ecclesiæ Catholicæ ad ipsum Sacrum Oecumenicum Concilium celebrandum pariter, & honorandum, prout Christianissimum Principem in tam pio opere facere conuenit.

II. Item velit sua Regia Maiestas pro honore Fidei & fauore huius sancti operis dare liberam licentiam omnibus subditis Maiestatis suæ volentibus & debentibus venire de iure vel approbata consuetudine ad Concilia generalia, vt liberè ad ipsum Oecumenicum Concilium accedant, & ad hoc etiam sua Maiestas ipsos inducat medijs & fauoribus consuetis: alios quoque fauores ac opportuna præsidia velit concedere pro tam sancto opere conficiendo prout videbitur esse necessarium.

III. Item vt volentibus & procurantibus scandalum ponere in Ecclesia Dei & perturbare aut impedire hoc sanctum opus vnionis resistatur, petit S. D. N. Papa, quatenus peruersum & scandalosum monitorium, & peruersam ac scandalosam suspensionem cum inde secutis, facta per eos qui in Basilea remanserunt aduersus Sanctitatem suam, nec acceptentur per Maiestatem suam, nec permittat in regno suo aliquatenus acceptari.

iv. Item ad tollendum monstrum, quod stantibus his in nostra Ecclesia Catholica esse videtur, videlicet quod duo Generalia Concilia insimul reputantur, petit præfatus D. N. Papa, quod sua Maiestas Regia reuocare debeat Ambaxiatores suos de dicto loco Basilea, ac cæteros subditos regni sui, inducendo eodem, quatenus vel ad dictum Oecumenicum Concilium accedant, vt tenentur, vel ad propria loca reuertantur. Quod si corde inclinato non fecerint, pœnas aduersus eosdem fulminatas fa-

ciat Maiestas sua fauorabiliter obseruari & exequi cum effectu.

Additur: Scriptum Biturigis die v. Iunij, Concilio Gallicano cum Rege Francia incipiente ibidem in vestibulo Capellæ sacri Palatii die quarta Iunii anno MCCCCXXXVIIII.

Cætera, quæ hoc & sequenti anno MCCCCXL. in eadem Bituricensi ciuitate peracta sunt, non est huius loci diffusius enarrare: nonnulla ex Historia mss. Concilii Basileensis, quæ extat in Bibliotheca Regiæ fasciculo 17. auctore Augustino Patricio Canonico, Senensi vulgauimus pag. 708. & seqq. Tomi II. nostrorum Miscellaneorum, quæ Lector consulere poterit, donec integrum illud opus publici iuris faciamus. Hæc enim eo duntaxat fine nostro Specimini inseruimus, vt frequenti Auctorum librorumque enumeratione defessum Lectoris animum tantisper reficereamus.

*Interualla via fessis prestare videtur,*

*Quæ notat inscriptus millia crebra lapis.*

